



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Epistola encyclica monachorum Floriacensium de cæde Abbonis Abbatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

hujus suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerabilem Apostolicum, vobisque concedat ut sitis eidem ipsi dulcissimus à secretis, ad consolidandam dejectionem apostolicæ auctoritatis. Valete.

*Epistola encydica monachorum Floriacensium  
de cæde Abbonis Abbatis.*

VNIVERSIS Abbatibus Christi que fidelibus Anno 1004.  
quoque locorum habitantibus, Floriacensis conciola dejecta & patre viduata. Fletu penè absorptis, dolore contritis, manum porrigite spiritalis auxiliij, patres sanctissimi, per affectum fraternæ caritatis. Pane mœroris potuque amaritudinis cibati, vestris orationibus mereamur recreari, quorum cythara lætitiæ versa est in luctum mœstitiæ, quorum organum luctuosè sonat lamentum, & jucunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris usque ad animam, dum deploramus pro sanctæ religionis studio Domnum & Abbatem nostrum Abbonem excessisse à seculo coronatum martyrio, qui VVasconum gladijs felix promeruit feliciter beatorum martyrum socius fieri; cujus animæ contagia vestra oratio abstergat, qui vestri amator omniumque Christi servientium verus semper extitit dilector. Nobis quoque, quos orphanos reliquit, fraternis succurrite votis, & Deum omnipotentem placate orationum hostiis, ut dignetur sua gratia gregem decapitatum & pio patre orbatum consolari. Obiit Idibus Novembris, die natalis sancti Brici.

